

Tinniensis, Herebertus Abbas Toppliae, Boncelaus Comes Gorizensis, et alii, quorum recitatio fastidium generaret. Datum est hoc privilegium per manus Mathiae Praepositi Zagrabiensis, tunc tempore Aulae regiae Cancellarii, anno ab Incarnatione Domini MCCXXIV. IX. Kalend. Ianuarias.

Kerchelich. Notitiae praelim. pag. 190. sq. — Katona exhibuit non integrum. Tom. V. p. 435. sq. — Fejér. Codex Dipl. R. H. Vol. III. p. 445 et 466.

XLII.

Anno 1225.

Bela Rex, primogenitus Andreae R. H., Turopoljensium stipites e servitio castri Zagrabiensis in coetum Nobilium Regiorum cum plena libertate transfert.

In nomine Sancte Trinitatis et indiuidue Vnitatis. Bela, Dei gratia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Gallicie, Rame, Seruie, Lodomerieque Rex, primogenitus Regis Andree, et rex in perpetuum. Cum a primo rerum exordio libertatis omnium equalis fuerit condicio, diuina consulit pietas, in id ipsum regia debet annuere benignitas, vt, pro quibus merita efficaciter interpellare iudicantur, ad pristinum libertatis aera (sic) restituendi fore censeantur. Cum ergo gloriosa res sit libertas, nullo nobilius remuneratur deuote seruientium libertas, quam eo, quod per fauorabilem donationem ad altiora prouehatur per gratiam, quod non habet per corrupte carnis naturam. Considerantes igitur multitudinem seruitiorum Budune et fratrum suorum Iwan scilicet et Lewcha, nec non et cognatorum suorum videlicet: Georgii, Iwan filii Ladislai, Birbizlai, Nicolai, Dobche, Miluani, Rodus, Tele, Roscue, et aliorum iuxta eiusdem generationis lineam descendentium, ab obligatoria seruitute castri Zagrabiensis eximentes, liberati inferioris officii vinculo gaudeant, et honesta societate seruientium regis, et concesse libertatis nobilitas in totam successionis eius prosperitatem transfundatur; introducti in participium regalis domus glorienter de libertatis munere, quod adepti sunt fidelitatis deuotione. Verum quia prolixitas temporum sua frequenti reuolutione fragilem memoriam hominum superinducendo consuevit frequentius eneruare, ea, quae per nos prouida circumspectione geruntur, scripture, quae mater memoriae dicitur, decreuimus mancipanda. Vt autem hec nostra concessio robur obtineat firmitatis, ac in perpetuum perseueret irretractabilis, presentem paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum per manus Mathie Praepositi Zagrabiensis, tunc temporis aule nostre Cancellarii. Anno gratie MCCXXV. Venerabili Vgrino Archiepiscopo Colocensi existente, et Cathedra Strigoniensi vacante. Rudberto Wesprimiensi, Stephano Zagrabiensi, Episcopis existentibus; Alader totius Sclauo-